

Prebet meis fidem dictis rei texte veritas,

10 Et Romana, de qua scripsi nomen¹ novum, civitas.

In unmittelbarem Zusammenhange damit steht das folgende längere Gedicht von Oderico p. 93 angeführt und vielleicht auch im Codex von Saint-Omer damit verbunden:

Roma potens quondam, capud orbis, honor regionum,
Ambitione mala modo fit spelunca latronum.

Legibus, imperio, studiis opibusque beata
Olim, strata iacet nunc, laude sui viduata.

5 Roma potens cecidit, heuheu! quam cura laborum
Mundi constituit dominam sedemque sacrorum.

Cesaris imperium siluit, ruit illa corona,
Cui dudum rerum parebat machina prona.
Regum ceptra iacent et celsa palacia ceno.

10 Cesaris alta domus fit nunc casa vilis egeno.
Roma modo nichil est, nisi Rome nobile signum.
Cesar in urbe sua nil cernit nobile, dignum.
Marmorei cives, Rome monumenta prioris,
Contestantur adhuc, quanti fuit illa decoris.

15 Pro dolor ecce iacet, iacet urbs precelsa, supina,
De domina serva, de regno facta ruina.

Et que iure sacro verum solet una tueri,
Spe modici fructus modo transit limina veri.
Ille bonus, bonus ille Cato, cinescit in urna,

20 Sub quo Roma diu fuit aurea pax diuturna.
Nam quantum mundo Roma preibat honore,
Tantum prefuerat Cato Rome laude, valore.
Occidit ille Cato, sub cuius erat pede mundus,
Cui gravitate sacra modo vir nequit esse secundus,

25 Cuius opes fuerant facundia, vita modesta,
Consilium, pietas, res publica, forcia gesta:
Cuius erat studium patrias defendere leges,
Urbi consulere, pravos extinguere reges.
Occidit ille² Cato, decus orbis honorque senatus.

30 Vir venerabilis, irreparabilis, insuperatus,
Quem non posse mori cito, fama refert timuisse,
Obque necem celerem servata venena bibisse.
Ut quid? ne liber servo maiorque minori
Serviret, metuens fame patrieque pudori.

35 Infelix casus, qui tantum pignus ademit!
Pocio dira nimis, que pectora sacra peremit!
Hunc solum mors est mirata mori potuisse,
Hunc optata diu, non ausa fuit tetigisse.
Ausa nephas tandem, se miscuit illa veneno,

40 Inque viri fudit se pectore numine pleno.

1) Das Wort ist schwerlich richtig. Bresslau vermuthet 'carmen'.

2) 'illa' Hs.